DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
DIABETE
QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS
PRAESIDE
ERNESTO ANTONIO NICOLAI
MEDICINAE DOCTORE
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS, SERENISSIMAE DOMVS SAXO-VINARIENSIS AC ISENACENSIS, SERENISSIMI PRINCIPIS SONDERSHVSA-SCHWARTZBVRGICI, NEC NON SERENISSIMORVM PRINCIPVM DE SOLMS-BRAVNFELS CONSILIARIO AVLICO HORVMQVE ARCHIATRO, CHYMIAE ET PRAXEOS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, COMITE PALATINO CAESAREO, ELECTORALIS MOGVNTINAE ACADEMIAE SCIENTIARVM VTILIVM ASSESSORE, ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM SODALI, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE ET H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
IVRIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORIS
D. XXIII. IVNII MDCCLXX.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IO. CHRIST. VALENTINVS GANTZ
WALTERSHVSA-FRANCVS.

IENAE
LITTERIS FELICIS FICKELSCHERRII.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE DIABETE.

§. I.

Omnem vrinae excretionem copiosam non esse morbosam, ii facile intelligent, qui sciunt, quot modis et gradibus ista excretio salva mutari atque augeri possit sanitate. Quoties hydrops largo vrinae profluvio non fuit curatus? quam copiosus praegressam vrinae suppressionem in aegrorum salutem excipere solet lotii flu-

xus? Vrinae quantitas potulentorum assumtorum quantitati respondet, ita, vt eo plus reddatur vrinae, quo plura bibuntur aquea. GENEROSISSIMVS AC PERILLVSTRIS *de* HALLER Element. Physiolog. Tom. VII. p. 393 vidit, 205. vncias aquae intra bihorium potas neque multo post tempore et ante prandium per alvum et vrinam redditas fuisse, narratque, hominem fuisse, qui intra 64 horas libras Carolinarum aquarum 2689. ebiberit, nempe libras 42. in diem, felici eventu, vt materies caseosa, quae diu in corpore stagnaverat, dissoluta exiret. Id, inquit, ex maximis exemplis est, et monet Cl. *Limbourg*, multum in his nimii narrari. Si vrinae excretio est praeternaturaliter aucta, vel brevi tempore cessat et transit vel non, vel superat quantitatem potus vel non et vel actiones corporis humani laedit vel non. Vrinae excretio praeternaturaliter aucta diuturna superans quantitatem potus, qua actiones corporis humani laeduntur, dicitur diabetes. Comitantur hoc malum corporis siccitas, sitis inextinguibilis, aestus, febris, quae in lentam abit, virium et carnis consumtio.

§. II.

Ex vocabulo graeco διαβήτης, quod siphonem significat, et a διαβαίνω transeo, pervado, permeo,

meo,

meo, verbo compoſito ex διὰ per et βαίνω eo, vado, meo derivatur, Latini fecerunt ſuum diabetes, quia hoc in affectu fluida eo, quo per ſiphonem, modo celeriter transeunt per vrethram vel vias vrinarias. Vocatur etiam dipſacus, Graecis διψακὸς, qui ſitim δίψαν appellant, a ſiti immenſa, quam aegrotantibus infert, vel, vt alii volunt, a ſerpentis quodam genere, quod dipſacus appellatur et in Lybia praeſertim reperitur, a cuius morſu hominibus ſitis inextinguibilis inducitur, διάῤῥοια εἰς οὖρον, diarrhoea in vrina, diarrhoea vrinoſa, nephritica, ὕδερος εἰς ἀμίδα, hydrops ad matulam, a Latinis vrinae profluvium, a Germanis die Harnruhr, der Harnfluſs. Rariſſimus eſt affectus, quem Galenvs ſe bis tantum vidiſſe refert *6. de locis affectis cap. 3.* et Lommivs per omnem vitam non niſi ſemel apud Nervios, quum illic medicinae artem exerceret, obſervavit, vide eius Obſervat. medic. Hippocratem eum prorſus non obſervaſſe praeter Moebivm *in Inſtitut.* p. m. 211. teſtis eſt Hieronymvs Mercvrialis *Libr. 3.* de affect. inf. ventr. p. 374.

§. III.

Exempla vrinae morboſe vberioris collegit perillvstris *de* Haller in Elementorum Phyſiolo-

giae Tom. VII. p. 851., quae huc apponere a nostro instituto non erit alienum. In puero septem annorum lotii a quatuor ad sex libras in diem per dies 50. fluxerunt. In alio vrinae in septem horis ad libras septem fuit et in alio ad libras decem. Alius tribus et quatuor diebus continuis libras 70. lotii reddidit. Librae vrinae 5. 6. et 7. quotidie; multo tempore, aestate quidem potius minori copia fluxerunt. Librae 7. ad 12. quotidie per 94. dies mictae sunt, librae adeo in eo tempore 3674. Duodecim et quindecim librae intra viginti quatuor horas decessisse leguntur. A colchici vsu quotidie librae duodecim cum pingui cuticula. Quindecim librae in diabete. Decem et sedecim in variolis intra idem tempus. Viginti librae et vna ab vsu hydrargyri. Tripla portione ad potum diurna et periodica mictio fuit, cum noctu naturalis esset. A nono ad 11. Februarii diem vrinae librae 34 redditae et $7\frac{1}{2}$ librae supra copiam potus. Ab 11 vsque ad 14 eius mensis die vrinae librae 52 et $12\frac{1}{2}$ librae supra cibum et potum. Ab 1 ad 4. Martii librae 64 et 12^{1} supra cibum et potum. Duplo plus alius per lotium reddebat, quam sumserat: alius triplo. Puella singulo die bocalia sedecim vrinae minxit per dies sexaginta, cum totus cibus et potus tria boca-

bocalia non excederet: ſuperaverat eo tempore vrina cibum et potum totis 1740 libris. Nobilis virgo 260 quotidie vncias vrinae reddebat absque cibo et potu. Senex 18 libras in diem emittens, cum $2\frac{1}{2}$ aſſumeret, per 30 dies, in ea copia perſtitit, corpore a morte non leviori. Quatuor de die amphorae vrinae non mutatae leguntur redditae fuiſſe: ingens copia, etſi amphorarum menſura ſiletur. Duodecim tredecimque pintae in diem aquoſae vrinae ex vulnere muſculi pſoae deceſſerunt. Pintas 12 indies et viginti quatuor libras per veſicam redditas lego et triginta ſex per dies ſexaginta: et quadraginta libras per continuos 97 dies. Librae 20 in hora vrinae limpidiſſimae. Fuit, quae per tres annos decuplo plus mingebat, quam biberat. Incredibilem, vt repetere vix ſuſtineam, copiam vrinae Monialis reddidiſſe dicitur. Hactenus de HALLER. MORGAGNI de ſedibus et cauſis morborum per anatomen indagatis *Lib. III. Epiſt. anatom. XLI. art. 15.* recte mirabile eſt, inquit, quod vel noſtra aetate Venetiis et Bononiae conſtat in ſpurio, quem vocant, diabete accidiſſe duabus Virginibus, vt altera intra dies 94 vrinae libras reddiderit 3674, altera intra dies 94 vrinae libras reddiderit 4171, cum earum vtraque non modo aut

parum aut nihil biberet, sed quasi eorum instar, qui hydrophobia laborant, vt sitiret plurimum et potionem quamlibet abhorreret. Refert PASCHASIVS *Lib. I. de curatione morborum cap. L.* p. 155. puellam Mediolanensem diabete laborantem per singulos sexaginta dies sedecim matulas mictu implevisse; cum biberet circiter tres ampullas. HOLLERIVS *in schol.* p. 444. memorat, quendam vrinae sex pintas Lutetianas quotidie excrevisse. Conferatur DODONAEVS in *Obs.* cap. 42. p. 74. atque SCHENCKIVS Obs. Lib. 3. p. 301.

§. IV.

GEORGIVS WOLFFGANGVS WEDELIVS in Actis Nat. Cur. Dec. I. Anno II. sequentem exhibuit diabetis historiam: Vir quidam magni nominis a scabie antea medicamentis liberatus anno sequente vere ineunte ad praeservationem bibit per vices vltra XV. mensuras succi betulae fere corrupti. Orta inde est fortis humorum versus renes congestio. Sitis vrsit maxima. Calor accessit intensus et quotidie copiam vrinae triplo sextuploque potu maiorem excernere coactus fuit cum partium odaxismo. Omnibus specificis internis et externis martialibus ipsisque opiatis frustra adhibitis convulsivis tandem moti-

motibus accedentibus fuit mortuus. Studiosus theologiae nimio in litteris studio frequentibusque lucubrationibus malum hypochondriacum sibi contraxit, cui vt symptoma se adiunxit diabetes tam effrenis, vt nocturno tempore somno sepultus nec frequentissimum vrinae stimulum sentiens eam in lectum mitteret, quo is perbrevi tempore fuit erosus. Fuit cruda vrina sine sedimento eiusque quantitas potus assumti quantitatem ter superavit. Corpus totum fuit emaciatum. Comites se adiunxerunt motus febriles anomali fluxusque haemorrhoidalis. CELEBERRIMVS IOANNES IVNCKERVS in auxilium vocatus adhibuit pulverem ex tartaro vitriolato et conchis praeparatis ana, pilulas balsamicas, mixturam ex tinctura tartari et liquore terrae foliatae tartari ana, et species ex radicis, ari pimpinellae albae ana vncia vna, herbar. veronicae, hederae terrestris, saniculae, pyrolae ana manipulo vno, concisas, sed per longum tempus frustra fuerunt adhibita haec omnia et spes restitutionis fere omnis abiecta, aeger vero morbum aegre ferens per integrum annum remedia praescripta adhibuit. Anno peracto diabetes tandem sensim sensimque remisit et simul cum malo hypochondriaco, cui vt symptoma se adiunxit diabetes, cessavit, et aeger restitutus, in

con-

coniugio prolifero nunc vivens, munere ecclesiastico sibi demandato optime fungitur.

§. V.

Orphanus iuvenis litteris, quae ab humanitate nomen habent, nimis incumbens anno aetatis suae XVIII. per longum tempus pathematibus hypochondriacis affligitur, quibus paulo post diabetes accessit tantus, vt fere quovis momento mingere coactus fuerit et in somnis vrinae stimulum non sentiens lectum saepissime inquinaverit. Siti praeterea intensa vexatus aquam frigidam copiose potavit, tandem malum hypochondriacum increscens et summum attingens gradum delirium et hecticam induxit, qua aeger fuit mortuus. Cadaveris abdomine aperto status viscerum induratus copiosaeque mesenterii glandulae obstructae tumidae et induratae, quarum nonnullae nucis iuglandis magnitudinem aequarunt et ramo maiori venae portae superstratae fuerunt, quae adeo sanguinis progressum in hac vena retardarunt, in conspectum venerunt. Hic casus occurrit Celeberrimo b. Ioanni Ivnckero.

§. VI.

§. VI.

D. Scaramvccivs refert in Act. Nat. Cur. Dec. I. Anno X. religiosam quandam vestalem in territorio Florentino ex febre cortice chinae suppressa in diabetem incidisse et in diem 20 vel 30 mensuras minxisse. D. Schmidivs in *Act. Nat. Cur. Dec. II. anno* 2. Observ. 124. recenset, virum generosum cholericum ex nimio aromatum et vini generosioris vsu in diabetem incidisse et singulis noctibus 10 vel 12 mensuras vrinae et plus reddidisse, quamvis quatuor tantum mensuras potus per diem assumserit. Malum hoc vsu tincturae minerae martis solaris, tincturae terrae catechu, tincturae coralliorum, croci martis adstringentis et pulveris ex antihectico Poterii, ebore sine igne praeparato, croco martis cum laudani opiati granis duobus per mensem continuato fuit sublatum. D. a Lebenwald in *Actis Naturae Curiosor.* Dec. II. Anno IX. historiam refert de puero XVI. annorum, qui ex haustu frigido, corpore in itinere aestuante sumto, in enormem diabetem delapsus est, et vna nocte non raro XV. mensuras aquae frigidae minxit, quam primum fuit ingesta. Ardorem in pectore tantum fuisse atque ad eum refrigerandum necesse fuisse glaciem et nivem imponere, et ad-

ſtringentibus ſitimque extinguentibus remediis hoc malum ſublatum fuiſſe perhibet. D. Hünerwolffivs in Actis Nat. Cur. Dec. I. Anno 2. obſervationem recenſet de puella VI. annorum, quae curata vrinae incontinentia ophthalmia correpta a veſicatorio ex cantharidibus in diabetem incidit lethalem. Thomas Bartholinvs in Actis Nat. Cur. Dec. I. Anno 2. refert, virum quendam ſingulis menſibus, praeviis cruciatibus nephriticis, diabetem paſſum ſingulis diebus ſub novilunio XII. menſuras ſine corporis colliquatione minxiſſe, licet vix tertiam tantum vnius menſurae partem aſſumſerit. Vrina fuit ſabuloſa et ſal ex ea elicitum canique propinatum eum necavit, pilis cadentibus. Olavs Borrichivs in Actis Nat. Curioſ. Dec. I. ann. 2. obſervavit, virum LXVI. annorum ſingulis menſibus modo ſub plenilunio, modo ſub novilunio, fluxu diabetico praegreſſo, dolore nephritico triduo afflictum fuiſſe, quo per tres dies 30 menſuras vrinae miſit ſine corporis colliquatione, licet vix dimidiam potus menſuram biberit.

§. VII.

Mihi licuit videre aegrum, qui ex fonticulo adverſus vomicam pulmonum ipſi excitato et poſtea occlu-

occluſo in diabetem incidit, quo ſex diebus ita contabuit, vt vmbris macilentior eſſet, oſſa ac pellis totus. Vrina fuit cruda eiusque copia potionis copiam longe exceſſit. Potio non multo, poſtquam ſumta eſt, parum mutata immodice ſub aquae ſpecie crudae per vrinam reddita eſt, ſitis inextinguibilis et febris aegrum afflixerunt. Medicus in auxilium vocatus fonticulum aperiendo occluſum ac eius fluxum excitando aegrum ex mortis periculo eripuit, ſanitatem vero priſtinam non prorſus reſtituit integram.

§. VIII.

Ex his, quas in medium protuli, obſervationibus ſatis apertum eſſe et clarum exiſtimo, copiam vrinae, quae in diabete excernitur, admodum variare, ſemper vero potulentorum aſſumtorum copiam ſuperare. Quod ad qualitatem vrinae in diabete attinet, modo potum parum vel plane non mutatum, modo vrinam crudam, vel inſtar aquae tenuem et pallidam, vel ſubturbidam, modo vrinam violas olentem oleo ſupernatante perfuſam, modo vrinam lacteam vel chylum, modo vrinam dulcem quaſi melle et ſaccharo imbutam mingi autores aſſerunt. Diabetes alius lacteus eſt, inquit PERIL-

LVSTRIS *de* HALLER *in Element. Physiol. Tom. VII. p. 351.*, in quo chylus cum vrina exit, quem adgnoscas ex lotii dulci sapore, et qui ad hecticam ducit. BOERHAAVE in Praelectionbus Academicis a *Perillustri de* HALLER editis Tom. III. p. 303. aliquando ductus, inquit, renales ita laxantur abusu aquae tepidae vel aliis modis, vt fistulae renales ipsum lac transmittant et fiat diabetes lacteus, cito per atrophiam lethalis. WILLISIVS in Pharmaceut. Ration. Sect. IV. cap. III. haec habet: quod plerique autores in diabete potum aut nihil immutatum reddi asserunt, a vero longissime distat: quoniam vrina in omnibus, (quos vnquam me novisse contigit et credo, ita in vniversis habere) tum a potu ingesto, tum a quovis humore in corpore nostro gigni solito, plurimum differens, quasi melle aut saccharo imbuta, mire dulcescebat. Praedicti erroris, (vt opinor) fuit vrinae color, qui semper crudus et aquosus, velut pica aut hydrope laborantium apparet. MARTINVS LISTER *in Exercitationibus medicinalibus* scribit: diabete affectos totum id, quod biberunt, minime a sua qualitate mutatum reddere, falsum est, cum eorum vrina semper aquea et subpallida est, nec omnino coloratior, quamvis vinum rubrum potarunt. Quod

qui-

quidam vrinam tenuem aquofam fine fedimento ab aegris diabete laborantibus mitti afferant, de hoc videatur SENNERTVS *Pr. Lib. 3.* p. 6. Sect. 2. cap. 2. THEOD. COLLADO in *Adverf.* Tom. 2. p. 327. adverfus PALMARIVM et DODONAEVM contendit, in diabete potum nec vllo modo nec fubftantia, colore, odore vel fapore mutatum mingi. THOMAS BARTHOLINVS *Hiftor. Anatom. Cent. I. Hift. LXVIII.* refert, quendam diabeticum poft potum vini rhenani, quem falutis caufa mediocri poculo haufcrat, reddidiffe vrinam vino epoto tam fimilem, vt pro vino ipfo harum rerum ignaro potuerit propinari, additque ibidem, fibi narraffe Patavii BENEDICT. SYLVATICVM, practicum fummum, quod viderit meientem vinum rubrum eo colore et odore, quo fuerat hauftum. ANDREAS IVLIVS BOTTICHER in differtatione Helmftadii de diabete 1704 habita, vtvt rariora fint, fcribit, exempla et frequentius forfan in adulto et inveterato malo tales obferventur vrinae, quae affumto potui non in omnibus funt fimiles, obfervata tamen talis quandoque eft ab aliis. Sic BENEDICTVS SYLVATICVS *Cent. III.* Confil. 42. refert de virgine quadam, quae faepius vrinam minxit, potui non abfimilem, odore et forfitan fapore, fi liceret eam delibare, abs-

que vlla alia morbosa affectione: et paulo post infra: verum certior factus vrinam in patiente nostra non semper rubram fuisse, qualis est vinea, sed tum tantum, quando vinum rubrum biberit, albam vero, quando album, et omnino aqueam, quando vini loco aqua vsa fuerit.

§. VIIII.

Immortalis Boerhaave in *Praelect. Academicis* Vol. VI. §. DCCLXXVI. vrinae excretio nimia est vel vera *diabetes* siue excretio albae vrinae turbidae et dulcis et inodorae chylosae, cuius causa est laxitas vasorum renalium tanta, vt aeque facile chylum transmittant, quam vasa galactophora mammarum, vel fluxus est aqueae vrinae limpidae fontanae similis insipidae, qualis in hystericis et hypochondriacis et teneris corporibus non infrequens est et hydrops ad matulam solet vocari. In *Praelect.* Vol. III. §. CCCLXIV. diabetes, inquit, est crebrior, quam pro naturali more, egestio vrinae non acris neque salsae, sed dulcis, albae, crassae, chyli prae se ferentis speciem. In nota d) adiecit perillvstris *de* Haller haec: Morbus renis rarissimus neque certe penitus idem cum eo, quem Galenvs dixit, visus Ballonio Consil. 39.

L. II.

L. II. et FELICI PLATERO Obſerv. L. III. p. 836. hic deſcribitur, quem cum coeliaco morbo comparat GALENVS *de loc. affect.* L. VI. c. 3. Videtur praeceptor eos ſolos caſus admittere, in quibus vel lac transit cum vrinis vel pus atque conſumitur renis fabrica. DIEMERBROECK p. 98. RVYSCH Cent. Obſerv. n. XIII. WILLIS. *de vrinis* p. 364. PLATER. l. c. p. 467. *Eph. Nat. Cur. Dec. II. Anno II. p. 291.* TYSON *Phil. Transact.* n. 188. etc. Laudatus BOERHAAVE l. c. copioſiſſimis aquoſae vrinae excretionibus in hypochondriacis et hyſtericis occurrentibus nomen diabetis non convenire dicit, *de* HALLER vero in nota adiecta monuit, CAMERARIVM in diſſertatione de diabete period. SENNERTVM L. III. P. VII. S. 2. cap. 2. et SYDENHAMVM modo dictis excretionibus vrinae aquoſae nimiis nomen diabetis impoſuiſſe.

§. X.

Medicus magnae exiſtimationis ac nominis MEAD *in Tentamine de vipera* p. 40. ait: quod dulce in vrina diabeticorum ſapit, id ex bile eſt, aqua enim bilis ſeparato ſale dulcis eſt, ſaepe vrina initio icteri violas redolet, atque in diabete imminuto, vt ſolet, cum prope eſt vitae finis, fluxu aquae ama-

rities

rities fellis est. *Celeberrimus* SAVVAGES *Noso-log.* Tom. III. P. II. p. 185. diabetes Anglicus, inquit, cuius character vrina odoris, coloris et saporis mellei (Mead Monita) differt a diabete Aretaei, quod vrinae sint dulces et mellitae, vel limpidae, vt referunt Angli, vel subturbidae, vt apud nos, nec non, quod hodie apud Anglos et Batavos ob vini meracioris ingurgitationem frequens sit vrina: intra viginti quatuor horas mittitur quandoque ad decem libras, quindecim ex obseruatis PECHEY. Similem diabetem obseruavit in duobus rusticis Gebennensibus media hieme cum vrina saccharata et subturbida eodem mense et anno D. PRIVAT, D. M. Alesiensis clarissimus. MANCHET in *Bibliotheca medico-practica* Tom. II. pag. 908. refert nobilem Venetum diabete afflictum gelidissimis quibuscunque vsum non vinum solum sed etiam syrupos non alteratos minxisse et pag. 904. vrinam limpidam mire dulcescentem et quasi mellitam ab aegro diabete laborante excretam fuisse.

§. XI.

In diabete laborantibus indesinens est creberrima meiendi necessitas, quam nihil cohibere potest, sitis vrgens, potus copiosus, cuius quantitatem

vero

vero vrinae quantitas longe ſuperat, cum malum incrementum accipit, mordax calor in viſceribus oritur, vt viſcera ſua conflagrare opinentur aegri, corpus areſcit et ſiccatur, ſitis increſcit et fit ardentiſſima, cum parum temporis a meiendo abſtinent, intumeſcunt lumbi, teſtes et ilia, cum vero denuo vrinam mittunt, cum ardore excernitur et tumidae partes detumeſcunt. In ſummo mali gradu febris accedit lenta et velox eſt carnium et membrorum in vrinam colliquatio et mors feſtina advenit.

§. XII.

Excretio vrinae limites naturales excedens ſupponit ſecretionem vrinae naturali maiorem et haec congeſtionem humorum verſus renes, quam eapropter diabetis cauſam habere nullus dubito. Congeſtio humorum verſus renes proficiſcitur a renum debilitate, ſeu laxitate, eorumque exulceratione ac obſtructione aliorum viſcerum, qua motus humorum verſus renes determinatur, et debilitas renum vel a congeſtione humorum verſus renes vel a vi externa renibus illata vel a renum exulceratione vel ab vrina nimis longe retenta vel a potulentorum aquoſorum nimio vſu oritur. Non ſpero, fore, vt quis mihi vitio vertat, ſi affirmo,

congestionem humorum versus renes oriri a renum debilitate et renum debilitatem a congestione humorum versus renes, cum verum sit vtrumque. Nam congestio humorum versus renes, si diu durat vel saepius contingit, non potest non vasa renum nimis extendere et nimia extensione debilitare, ac fluida nostri corporis ruunt maiori copia ac impetu ad partes debiles. Vsus diureticorum nimius producit humorum versus renes congestionem eorumque debilitatem. Ex his omnibus conficitur, vt diabetes ab humorum versus renes congestione, renum debilitate, exulceratione, vi externa renibus illata, quatenus renum vel vlcus vel debilitatem producit, nimio aquosorum et diureticorum vsu, ac retentione vrinae longa oriri possit.

§. XIII.

In monumentis medicorum veris ac solidis laudibus abundantium consignatae sunt obseruationes, quae ea, quae dixi §. XII. abunde confirmant. Illustris Morgagni *de sedibus et causis morborum per anatomen indagatis* Tom. II. Lib. III. epist. XLI. art. 14. 15. exempla coniunctionis diabetis et retentionis vrinae varia recenset, quae probant, retentionem

tionem

tionem vrinae nimis longam renes admirandum in modum ampliificaſſe et vreteres ad magnum gradum dilataſſe et diabetem produxiſſe, quid vero praeternaturalis renum ampliatio et vreterum dilatatio magna aliud efficere poteſt, quam harum partium debilitatem et minorem reſiſtentiam, quod erat id, quod aſſerui §. XII. Eandem diabetis cauſam probat FRIDERICVS HOFFMANNVS, qui in *Conſult. et Reſponſ. Med.* Cent. II. Caſ. LXXV. refert, matronam generoſiſſimam, annorum XXVIII. tenerrimaeque corporis conſtitutionis, calculoſis olim ac hyſtericis paſſionibus excruciatam, ſex abhinc hebdomadibus preſſorium perennemque in dorſo atque praeſertim ſiniſtro hypochondrio ſenſiſſe dolorem cum huius lateris aliqua intumeſcentia, faſtidio, inquietudine, alvi obſtructione ac vrinae pertinaci retentione, tandemque hanc ſequente copioſiſſimo lotii tenuioris, ſedimento carentis, profluvio, et ab eo tempore mictionem aſſumtorum liquidorum quantitate longe vberiorem, cum virium proſtratione, continuaſſe, quem affectum non alium fuiſſe putat, quam diabetem ex renum, maxime ſiniſtri, nimia ob calculum vreteri impactum facta relaxatione ſubortum. Plures eius generis ipſi occurrerunt obſervationes, quas inter

C 2 nota-

notatu dignissima illa est, quam in comite animadvertit. Hic intra decem horarum decursum vltra duodecim vrinae mensuras excreverat et post aliquod tempus, accedente alio graviori morbo, defunctus atque secatus vreterem dextrum insigniter et farciminis instar expansum, qui eiusdem lateris renem in molem sinistro duplo maiorem elevatum ostendit.

§. XIIII.

A renum exulceratione diabetem oriri posse, quod dixi §. XII., testatur Rvyschivs in Obseruationum Centuria obseruatione XIII. de viro, qui in aetatis flore diu atrocibus nephriticis doloribus vexatus renisque abscessu laborans in diabetem incidit. Post mortem sectus exhibuit vtrosque renes ex parte consumtos, praesertim dextrum, cuius substantia plane consumta, membranae vero incrassatae et contractae pelvis capacitatem aequarunt, vreteres admodum tortuosi variisque in locis expansi fuerunt. Idem in *Dilucid. Valvul.* obs. XIII. viri diabetem passi cadavere vreterem dextrum mirum in modum distortum atque hic illic multum expansum, vt crassitie intestinum repraesentaret, pelvim adeo distentam, vt malum aurantium mediocre

cre facillime et ſine difficultate admitteret, parenchyma omnimode conſumtum nihilque praeter membranoſas partes valde induratas ſuperſtites invenit.

§. XV.

A. Martino Lister *in Exercitationibus medicinalibus* p. 75. variae hiſtoriae aegrorum, qui ex potu aquarum medicatarum gravi diabete fuerunt afflicti, ſunt conſignatae, et notatu dignum eſt, quod idem Autor l. c. refert, quod illuſtriſſimus Comes iuvenis obeſus ex potione matutina mellis crudi ex vino Cararino graviſſimo diabete affectus fuerit et hortulanus vſu antimonii diaphoretici, quod ad herpetem foedum et valde moleſtum ſuperandum per plures dies ſumſit, gravi diabete correptus fuerit et ſyrupus e decocto balſami de copaiva ex aqua et ſaccharo confecto liberaliter ſumtus et duo grana opii in pilulis de ſtyrace mane et veſperi devorata diabetem produxerint. Venenatam mellis et antimonii diaphoretici indolem huius mali cauſam idem Autor declarat. Manchet *in bibliotheca medico-practica* Tom. II. pag. 910. et alibi recenſet hiſtoriam aegrorum, qui potu aqueorum et aquarum medicatarum ſibi contraxerunt diabetem.

§. XVI.

Ortum diabetis a diureticorum vſu probat vſus ſucci betulae, qui adeo diureticus eſt, vt diabetem faciat, de quo videatur hiſtoria §. IV. et Spies *de herbis antinephriticis*, nec non vſus cantharidum §. VI. et balſami ſulphuris, a quo diabetes obſervatus fuit, de quo videatur Boneti *Polyathes* Tom. II. p. 1103. Manchet in bibliotheca medico-practica p. 903. cognovit quendam, qui vino Rhenano, quo pro potu ordinario per viginti dies vſus eſt, incurabilem ſibi contraxit diabetem, quo non obſtantibus medicorum plurium inſignium conſiliis et remediis intra menſis ſpatium interiit. A ſalſedine et potu vini meracioris ac frequenti vſu foeniculi et petroſelini vidit diabetem Lvsitanvs, in quo, quicquid potavit, minxit aeger, vti refert Manchet. l. c. p. 908. Idem refert l. c. ſtudioſum libera victus ratione, praeſertim vſu ſalitorum et potu vini generoſi, in diabetem incidiſſe. Eius generis plura exempla ſupra allegavi §. VI.

§. XVII.

Celeberrimus Mead *in tentamine de vipera* p. 39. arbitratur, diabetem non eſſe renum morbum, vt vulgo medici ſtatuunt, ſed hepatis, etiam a vitiata bilis miscela oriundum. Frequentiſſimus, inquit

quit, in illis eſt, qui, cum non ſatis iuſto corporis exercitio indulgent, ſibi vinoſum laticem et ortam inde ſitim reſtinguunt nimia copia potus refrigerantis. Hac praepoſtera incaleſcentia et refrigeratione humorum corporis, pergit, naturalis proportio ſalis in bile, cuius ope connubium fit oleoſae partis et aquae, nunc cum aqua abundat, non ſufficit conſervandae miſcelae, ergo magna aquae copia cum olei tenuiori aliqua parte per renes excernetur, perpetuusque eius affluxus vrinarios canales multum diſtendet, craſſiores autem oleoſae partes in tenuioribus tubulis hepatis relictae aliqua coagulatione duram pinguem ſubſtantiam formant. Secti ex diabete mortui manifeſtum fecerunt, ita rem eſſe. Semper inveni in hepate ſteatomatoſi aliquid, iſti non abſimile viſum materiae, quae ſaepe in ictero confirmatiore per alvum deiicitur, ſed conſiſtentiae, quam haec, durioris. Hactenus Mead.

§. XVIII.

Obſtructionem, quae viſcera abdominis, renibus exceptis, occupat, notabilem diabetem producere poſſe, aſſerere dubito nullus et per obſervationes conſtat §. V. XII., ſed de modo, quo id fiat, variae et inter ſe diſſidentes ſunt

medi-

medicorum opiniones. Celeberrimi MEAD ſententia hac de re §. XVII. mihi non placet, credo potius, obſtructionem viſcerum abdominalium ea tantum ratione, qua motum humorum verſus renes determinat ſeu congeſtionem verſus renes producit, efficere diabetem, obſervationibus nitens de animalibus, quae liene exciſſo vulnereque conſolidato plus minxerunt, quam antea, factis nitens. Reſolutio ſeri nimia ſola efficere quidem poteſt augmentum ſecretionum ſeroſarum, nunquam vero diabetem, niſi accedat vel renum debilitas ſeu minor reſiſtentia vel congeſtio verſus renes, quia illud ſecretionem vrinae magis imminueret, quam diabetes auctam requirit.

§. XVIIII.

Humidum aeris per cutem abſorberi et ab hoc per cutim abſorpto humido magnam vrinae quantitatem, quae potulentorum quantitatem longe excedit, oriri et reparari, multorum et PERILLVSTRIS *de* HALLER eſt opinio. Hic in *Elementor. phyſiol.* Tom. V. p. 89. olim, inquit, PETRVS CASTELLVS MASCARDVM nominat, qui decuplo plus per tres annos minxerit, quam bibebat. Duplo plus reddebat, quam biberat, et turbidam aquam alius

alius et triplo iterum alius. Apud MATTHIAM *de* GRADIBVS hiſtoria foeminae legitur, quae, cum cibos omnes revomeret et plus revomeret, quam ſumebat ciborum, et bis per ſeptimanam venam ſecaret ſanguinisque emitteret vncias 7. 8. totis ſex menſibus, tamen ſupervixit. Duodecim pintae quotidie per lotium redditae leguntur et quatuor amphorae. Homo ex pectore laborans in ſeptem horis minxit libras ſeptem et in alio paroxysmo libras decem, deinde tribus quatuor diebus continuis ad libras 70. Virgo nobilis quotidie 260. vncias vrinae edidit absque cibo et potu. Ex GATINARIA puella quotidie per 60. dies pocula minxit 16 qualia tria biberat, vt in eo tempore 1740 libris vrina ſuperaret et ſuper cibum potumque amiſerit libras 1740, felici tamen eventu. Monacha vrinae incredibilem copiam reddidit. Virgo 20 libras absque ſiti vel morbo per 60. dies amiſit. Totis diebus nonaginta ſeptem, quadraginta quotidie librae lotii redditae. Similem pene narrationem BOERHAAVIVS refert et hydropica corpora eius naturae eſſe, vt aerem imbibant, coniicit ANTONIVS *de* HAEN. In his exemplis, cum plus vrinae reddatur, quam cibus potusque poſſint reparare et cum ipſum corpus paucos ad dies tantae iacturae ſufficeret, etiamſi totum in aquas diffluerет, creditum eſt, ab aere omnino humorem abſorberi. Reſpiratione ſola abſorberi non poſſe tantum aquae, calculis poſitis C. TAGLINI reperit. Hactenus PERILLVSTRIS *de* HALLER.

§. XX.

Vrina eorum, qui diabete laborant, tum pro eorum conditione, tum pro aſſumtorum quantitate et qualitate variat. Homo ſanus et ieiunus, quamprimum expergiſcit, mittit vrinam odore, ſapore acri et colore ſaturo flavo praeditam, aqua ſpiſſiorem, quae dicitur vrina ſanguinis. Si tunc, miſſa vrina ſanguinis, bibit aquam

D calidam

calidam vel tepidam simplicissimam large, non multo post reddet vrinam odore et sapore fere privatam, aquae colore et consistentia similem, quae tandem, si eiusmodi aquam bibere pergit, tandem odore et sapore omni destituitur et aquae colore et consistentia et reliquis proprietatibus simillima evadit. Si igitur diabete laborantes aquea bibunt, non mirum est, si vrinam tenuem pallidam aquae similem mittunt; si vero potulenta non pure aquea mingunt non mutata, vt vires ea mutantes et resolventes sint labefactatae, necesse est. Explicatu difficile mihi videtur, quare eorum vrinae dulcedinem instar sacchari vel mellis habeant Nonnulli variorum salium coniunctionem, alii chylum admixtum causam huius dulcedinis habent, sed a chylo admixto sapor vrinae tantum lenis ac instar lactis vel iusculi carnium blande demulcens, nunquam autem instar sacchari et mellis dulcis nasci potest, quam ob causam alii, qui sacchari et mellis dulcedinem ab acido cum partibus sulphureis determinata ratione et proportione mixto derivant, vrinae dulcedinem ab eadem causa, scilicet salium acidorum cum partibus sulphureis coniunctione, deducunt.

§. XXI.

In diabete, quo plus humorum e corpore humano egeritur, quam ingeritur, non potest non humorum et virium defectus oriri et corpus tabescere, quia vires ac plenus et crassus corporis habitus ab humoribus dependent, humorum acrimonia et spissitudo, calor, siccitas et sitis et febris ob humidi blandi defectum nasci, quae sunt diabetis symptomata §. I. XI.

F I N I S.

NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

DOMINO

CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Te magni KALTSCHMIEDII, TVI olim praeceptoris, veſtigia ſecutum eſſe et praxin medicam et chirurgicam felici ſucceſſu exercuiſſe, magna cum voluptate percepi et TE ad conflictum ſollemnem, quo ſummos in medicina conſequeris honores, comitari, maxime laetor. Gratulor TIBI hoſce honores, et, vt in Dei gloriam TVAMque ipſius ſalutem cedant, precor. Gaudebo de rerum TVARVM proſpero ſucceſſu. Vale mihique fave. Dabam Ienae d. XXIII. Iunii MDCCLXX.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO DOCTORANDO

S. P. D.

CHRISTIANVS ERNESTVS KRIEGER

HVNGARVS

DVM OpponentIs offICIo fatIsfaCere VoLVIt.

Si-quis vnquam fortunatus mihi illuxit dies, hic certe eſt, qui TIBI, VIR Praenobiliſſime, eruditum conflictum paranti, diu promeritum offert brabeum. Sed verba me fugiunt, quibus digne ſatis illum extollere, patriae gratulari, et TIBI fauſta quaeque vovendo, grates debitas reponere liceret. Voluiſti me ſpeciminis tam eruditi eſſe cenſorem; obtuliſti igitur diſſentientis provinciam, adero aſpirante fortuna, non hoſtis quem datis telis pugnare iubes, ſed ſolidiſſimae eruditionis TVAE, quam latentem hucdum occultaſti, teſtis et aemulus futurus. Faveat Numen ſupremum et in poſterum quoque TVIS conatibus, atque ille ſis, cui ad nutum ſerviat fortuna. Floreas in chariſſimae TVAE patriae decus, et me in eorum referas numerum, quos amore favoreque TVO ſemper complectaris. Vale. Dabam Ienae

D. VI. Iduum Maii.